
H. TOLLII ORATIO DE FINE STATISTICES, QUAE VOCATUR, HODIERNAE

Herman Tollius





Illmo reverendissimo

Stuart

M. A.

H. TOLLII

ORATIO

DE

FINE STATISTICES, QUAE VOCATUR, HODIERNAE.

H. TOLLII
ORATIO
DE
FINE STATISTICES, QUAE VOCATUR, HODIERNAE;

PUBLICE HABITA

Die X. *Junii* MDCCCIX.

QUUM

IN ACADEMIA HOLLANDIAE REGIA;

PROFESSORIS STATISTICES HODIERNAE, ARTIS DIPLOMATICAE ET HISTORIAE BELGICAE MUNUS AUSPICARETUR.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD HAAK ET SOCIOS,
MDCCCIX.

MAGNIFICE RECTOR.

UNIVERSITATIS REGIAE CURATORES VIRI ILLUSTRISSIMI.

CIVITATIS LEIDENSIS CONSUL, ET QUI ADJUNCTI IPSI ESTIS CONSILIARII: PRAETOR, JUDICES, QUIQUE HIS MAGISTRATIBUS AB ACTIS ESTIS, VIRI AMPLISSIMI.

QUARUMVIS DISCIPLINARUM IN REGIA HAC UNIVERSITATE PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI.

QUI TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ES, VIR SPECTATISSIME.

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES VIRI PLURIMUM REVERENDI.

QUA-

QUARUMCUNQUE ARTIUM ET SCIENTIARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, ERUDITISSIMI.

CIVES, HOSPITES, SUO QUISQUE LOCO, SPECTATISSIMI, AUDITORES HONORATISSIMI, OPTATISSIMI.

TU DENIQUE IN AMPLISSIMAM PATRIAE SPEM LAETISSIME SUCCRESCENS JUVENTUS ACADEMICA; UNIVERSITATIS REGIAE ORNAMENTUM; CLARISSIMI HUJUS ORDINIS CURA, VOLUPTAS, DECUS. —

Quem Harderovici primum, deinde etiam Amstelodami et docentem publice et dicentem cives mei benigne quondam et indulgenter audire solebant; nunc ego, A. A. H. H., ex longo quinque lustrorum intervallo, in publica iterum, atque adeo in illustrissima hac Cathedra constitutus, gravissimum docendi munus, animo, haud facile dixerim, laeto an tristi, alacri an cunctabundo, penitus certe et varie commoto, atque ita profecto auspicor, ut qui me vestro praecipue favore, vestris studiis et benevolentia, ad pristinam illam dicendi libertatem erigendum, omninoque in toto hoc, qui mihi habendus est, sermone sustinendum esse sentiam.

Ex urbe patria Breda, per belli et instantis fere hostis metum, in Hollandiam, atque adeo in hanc ipsam urbem, cum puer admodum a vidua matre translatus essem; in egregio primum Vestro, Magistratus et Cives Leidenses, Gymnasio, accurata, quae perantiqua harum Scholarum laus est, disciplina ad Graecae Latinaeque Linguae scientiam sum eruditus; deinde autem adolescentior jam,

in hac eadem Academia animum, ſub praeſtantiſſimis magiſtris, ad doctrinae ſtudia, ad Literarum & Juris praeſertim peritiam, ad virtutem ac vitae honeſtatem informare elaboravi.— Ubi igitur, ſaepe haec lubenterque grata mente repetens, ſenectuti meae, varia temporum vicisſitudine jactatae, portum ac perfugium aptum magis magisque jucundum, quam in ea Urbe, in ea Univerſitate dari optem, quae pueritiam et adolescentiam, patria fere ejectam, ſuſceperunt olim, inſtituerunt ac formarunt? Eccui ego Academiae aut Urbi, qui adhuc ſperari publice aut privatim posſint, maturitatis meae fructus lubentius, quam utrique huic, offerre et praebere velim, quibus totum fere me debeo, et a quibus eandem, quam in juventute bonis artibus ornanda expertus ſum, benevolentiam, in recreanda etiam et fovenda ſenectute, rogare mihi et vero ſperare audeo.

Ex longa vero, eaque ad evitandas temporum injurias ſuſcepta peregrinatione, poſt compoſitos disſenſionum ac turbarum civilium fluctus, munifico inprimis ac fere ſingulari auguſtisſimi ejusdemque magnanimi Regis jusſu atque auxilio, in patriam redire; cognatos, affines et familiares,

res, a quibus aegre divulſus vixeram, videre iterum et amplecti; quin in hac ipſa concione, affines primum multo mihi cariſſimos, deinde veteres juventutis et ſtudiorum comites, tum ſodales etiam, collegas, diſcipulos, omnique amicos et hospites antiquos, ad hanc ſolemnitatem, ad hunc quaſi meum diem praeſentia ſua cohoneſtandum, tanto numero congregatos videre, ut a ſingulis, quod honoris et gratiae cauſſa vehementer cuperem, nominatim ſalutandis, tum reliquorum Auditorum reverentia, tum temporis, quod mihi ad dicendum conceditur, brevitate ſecludar; cum honeſtis praeterea, ut quae mihi laeta grataque obtingunt, recenſere pergam, cum honeſtis quarumvis partium civibus, publicam, quam cenſebant, ſalutem, in maxima rerum omnium perturbatione, unice ſecutis, ad ſapientem opinionum ac ſenſuum moderationem conciliari; actam in tot tantisque rerum converſionibus amicorum cuique vitam, ejusque paucisſima proſpera, adverſa pleraque eventa, ſaepe una repetere; gratulari, conſolari, animum ad conſtantem doctrinae, virtutis et religionis amorem confirmare; antiquam denique fidem teſtando praeſtandoque renovare; — Tanta

profecto haec ſunt et talia, ut ad ipſum humanitatis ſenſum, qualibet depravati animi corruptela, is demum occalluerit oporteat, qui veri hujus et ſolidi gaudii dulcedinem vel ipſe aſpernetur vel in aliis reprehendat.

Quam vellem equidem A. A. ut et pauciora mihi et minora eſſent, quae cum hanc temperent laetitiam, tum animum etiam perturbant vehementer, affligunt, deprimunt. Affligit certe mentem tum meorum, tum vero publicorum, quibus diutiſſime conflictati ſumus, temporum, mihi praeſertim, multis et graviſſimis de cauſis, luctuoſa recordatio; affligunt praeceptorum et familiarium cariſſimorum, quos jam in utroque hoc ampliſſimo conſeſſu fruſtra circumſpicimus, triſtiſſima deſideria, in quibus cum LUZACIUM etiam et KLUITIUM, inſignia nuper praeclari hujus Ordinis ornamenta, fatali unius diei clade nobis ereptos lugemus, eo acerbior hic mihi dolor eſt, quod novam mihi eamque graviſſimam de ipſo hoc, quod auſpicor, munere recte fungendo, injicit ſollicitudinem; cum unus utrique ſucceſſor datus, vehementer vereor ut in provecta hac mea aetate, et in ea, cujus mihi optime conſcius ſum, eruditionis tenuitate, duplex hoc onus ſo-

ſolus et iam pridem deſuetus, ſatis pro ſtudio ac voluntate mea, aut ex commodo et dignitate hujus Univerſitatis, ſuſtinere poſſim.

Accedit tandem, quae vehementer angit me et ſollicitat, iniquae, qua in hunc locum eſcendi, conditionis cogitatio; cum, et aetate et intermiſſo diutisſime Linguae Latinae uſu, ad dicendum parum idoneus, in amplisſima tamen hac eruditisſimorum Virorum corona, et coram iis eloquentiae ſive arbitris ſive magiſtris, verba mihi facienda eſſe video, quibus non vox tantum et latera adhuc integra, ſed praecipua etiam exquiſitae facundiae laus artis principatum facile asſignant.

Itaque, quod initio precari inſtitui, conturbato licet et parum diſerto oratori Vos, A. A. H. H., ea benignitate faveatis, quam et aetati meae deberi et temporibus, vos ipſos, qua eſtis indulgentia, ex aequo et bono cenſere, cum ſpero, tum vero confido.

Atque hac quidem conditione, jacta alea eſto, A. A., et, quas ſerenae veſtrae frontes mihi promittunt, aures facillimas, cum orationis praeſtantia non poſſumus, ſimplici tamen argumenti et disputationis popularitate,

confirmati jam audentesque, ut cumque mereri conemur.

Quamquam igitur *Historia Patriae*, et tum hujus, tum universae Historiae ministra, *Diplomatica* argumentis abundant ad utilitatem et ad voluptatem uberrimis, ipsa tamen me, si non rerum tradendarum, at nominis certe novitate et insolentia, ad se maxime revocavit, principe mihi loco demandata, *Statistice Hodierna;* cujus vim rationemque meditando, et mihi ipse certam hujus disciplinae viam ac modum describere, et, quae ex hac disputatione elucebunt, praeclaras ipsius ad hominum societatem juvandam et amplificandam virtutes, vobis, A. A. H. H., et huic maxime Juventuti Academicae, vere atque ex animo commendare possim.

Dicam igitur *de fine Statistices, quae vocatur, hodiernae.*

Quod dum aggredior, quo susceptae disputationis argumentum ab initio statim recte constituatur et intelligatur, ad antiquissimorum temporum memoriam paulisper mentem mecum animumque revocate, A. A., quibus, disjuncti olim sparsique habitationibus mortales primum, na-

natura duce, in civitates, formis inſtitutisque mire diverſas, coaluerunt; accidit tunc, quod profecto aliter fieri non potuit, ut pro varia ditionis amplitudine, fertilitate atque opportunitate, pro vario partim civium partim imperantium ingenio, et pro varia praeſertim ipſius imperii forma, novae hae civitates, uti, quas recens conſeveris, arbores, ſive ſua ipſarum vi vitali, ſive almae terrae ſitusque opportuni virtute, ſeu plantantium denique cura et conſilio, aliae aliis laetius provenirent, florerent, et nonnullae etiam, actis altisſime radicibus, et ramis adeo latisſime quaqua verſus diffuſis, ad praecipuam amoenitatis et ubertatis excellentiam adolescerent. Tum vero Civitates hinc aemulatio atque ambitio, inde invidia et livor invadere, hominum animos varie ſollicitare, ſagaciores prudentioresque eo adducere, ut jam diligentius inter ſe, modo clam, modo aperte, obſervando, ſive tardioris ſive celerioris ſucceſſus cauſſas indagare, et alienis exemplis publice privatimque ſapere conarentur; quod conſilium, ex ipſa natura ductum, cum etiam uberrimae, ejusque mutuae utilitatis fructus omnibus commendaſſet, intenſius in dies a doctis et ſapientibus viris id agi coepit

pit atque etiam nunc agitur, ut diverſarum, praeſertim vero florentisſimarum Gentium origines, fata, inſtituta, mores, vires, quanta fieri poteſt accuratione, et cognoſcantur et perſcribantur, quo uberrima ſuppetat materia, in qua verſentur et unde proficiant, qui rebus publicis ſive inſtituendis, ſive regundis et emendandis praeſunt.

Hiſtoriam ex levibus his, ſed propriis certisque lineamentis, ecquis non agnoſcat, A. A., ſive ducem Civilis Prudentiae ſive miniſtram? Haec autem cum tam late patet, quam aetatum et terrarum omnium terminos cogitando complecti posſumus, multa profecto in tanta hac amplitudine contineat oportet, quae ab his temporibus, ab hominibus populisque, quibuscum vivimus, et a mutuis eorum rationibus et commodis, tanto opere diſcrepent, ut periculum ſit ne, quae inde duxeris rerum agendarum aut moderandarum praecepta, in praeſenti rerum ſtatu, noceant magis quam proſint. Altera accedit conſideratio, quod etiam recentisſimorum temporum Hiſtoria, dum univerſas nobis exponit, quae in quolibet populo vel proxime acciderint vel cum maxime

ac-

accidant, res memorabiles, tanta illarum varietate et copia abundat, ut, quas Civilis Prudentia sectari potissimum et captare solet, observationes descriptionesque, temere sparsas ubivis et multa aliarum rerum mole obrutas, aegre investigare inde, colligere et in una quasi tabula oculis subjicere possis.

Haec igitur ubi tanto magis sentiri coeperunt incommoda, quanto latius et commercia inter gentes et mutuae utilitatis sive spes sive fructus propagarentur, eo demum eruditorum hominum diligentia conferri coepit, ut rerum, quas suo quisque tempore ad cognoscendas civitates et juvandas maxime pertinere censeret, praecipua momenta, in varias *rerum publicarum*, cum singularum tum universarum, *descriptiones* sive *notitias*, ordine ac ratione cogerent, et ab Historia hanc quasi segregatam scientiam haberent; quam, cum *statuum*, uti vulgo loquuntur, id est, civitatum omnium cognitionem complectitur, novo tandem verbo, *Statisticen* appellarunt. Barbara vox, A. A., et ex latino quidem nomine *status*, sed contra Classicorum Scriptorum usum pro civitate accepto, in graecae formae terminationem corrupta; quae tamen eo,

quem explicui, fensu, in eruditorum Scholis invaluit, atque adeo imaginem vobis exhibet disciplinae, cum ad utilitatem uberrimae, tum vero tam late diffufae, quam hominum rerumque humanarum, in quibus cum maxime vivimus, notitia intelligi poteft; quo magis certe operae pretium nos facturos esfe judicatis, A. A., fi, quem jam fere indicavimus, Statiftices hujus hodiernae finem paulo accuratius commentando, et obtinendi ejus difficultates, et vero obtenti fructus, quot qualesque esfe foleant, breviter perfequamur.

Hiftoriae igitur noftri temporis pars multo infignior et praeftantior, *Statiftice*, cum eum, de quo jam generatim diximus, *praefentem gentium omnium ftatum, quantum maxime juvari inde et augeri ipfae posfint, obfervandi, cognofcendi et defcribendi*, finem, tum vero duas praefertim cum matre quafi Hiftoria communes habet, quibus hunc finem asfequatur, virtutes; alteram ut *vera*, alteram ut *utilia* narret; quarum prior ab erroris nos levitate, in fummo offendendi periculo, prohibeat, pofterior vero impediat ne in anxiam nimis, et putidam adeo, rerum minutarum ac vanarum conquifitionem delabamur.

Jam, quae quidem et qualia fint veri inveniendi ac tuen-

tuendi praecepta, quae fidei Historicae praesidia ac leges, in scholis librisque tum Philosophorum, tum Historicorum, affatim explicatum habemus et illustratum; quibus cum et vos praecipue abundatis, A. A. H. H., uberiorem gravissimi hujus loci tractationem ita excludere ex hoc sermone et circumscribere liceat, ut eas tantum difficultates memoremus, quae Statistices studio propriae in hoc genere et praecipuae esse solent.

Quodsi enim multis de causis eo difficilior ad scribendum, eoque ad credendum incertior merito habetur Historia, quo propius cum aetate et temporibus nostris sit conjuncta; quot quantisque veri indagandi impedimentis eam disciplinam implicari existimabimus, quae praesentem maxime gentium et civitatum conditionem persequitur? Varie regnant hic turbantque diversa in quaslibet partes hominum studia: Suarum fere rerum admirator laudatorque, alienarum reprehensor et contemtor nimius, quotusquisque non insuper etiam, sive odio aut amicitia, sive spe insignioris commodi vel gravioris mali metu, seu praejudicata denique opinione aut partium studio, verum, in patriis rebus et exteris aestimandis judicandis-

que, aut praetervidet invitus, aut fciens volensque praevaricando celat, quin etiam migrat? Deinde vero, fi quis etiam animum a pervulgatis his vitiis penitus liberum attulerit; fi unius veritatis tenacisfimus, nec temere gloriari de fuis, neque immerito carpere aliena, omninoque neque fe ipfum, neque alios fallere velit; ne hunc quidem harum rerum fpeculatorem teftemque habebimus idoneum, nifi et antea ingenium ab omni, quam dicebam, contagionis labe immune, multa rerum, in quarum inquifitione verfari velit, fcientia imbuerit et ad eam praeterea veri obfervandi ac perfpiciendi facultatem formaverit, ut et celeriter et recte videat; nulla fe neque infidiofa rerum fpecie neque hominum fallacia in errorem induci, non incognita fibi pro cognitis, falfa pro veris obtrudi patiatur.

Ingens fuit olim, A. A., et permagna eft etiam nunc Peregrinantium multitudo, numerofi admodum circumferuntur de multis itineribus commentarii, fed pauci ab illis, quae indicavimus, vitiis liberi, aut his, quas proxime diximus, dotibus inftructi; plurimi etiam ex eo genere fcriptorum, qui five levitate et focordia, five vanitate

aut

aut, quod abjectius, lucri ſtudio, nova potius et mirabilia, quibus leves homines et creduli, vel pueri adeo ſe delectent, quam certa et vera, quibus graves viri et prudentes ingenium alant, temere undique arripuiſſe et perſcripſiſſe videantur.

Longum profecto et vero odioſum foret, A. A., ipſa vobis hujusmodi ſcriptionum exempla citare; plenae his ubique Bibliothecae, plenae ſunt Ephemerides literariae: quo magis profecto diligenti rerum humanarum ſpeculatori cavendum esſe intelligitis, ut ne temere quemquam ex hac ſcriptorum gente ducem ſequatur, multoque minus ei, ad quem caſus ipſum detulerit, tam pervicaciter et quaſi mordicus adhaerescat, ut, omiſſa conſiderandi ſingula et ponderandi cura, ficta cum certis, falſa cum veris promiſcue ac temere amplectatur.

Verum hic audire mihi videor, qui dicant: ubi privatis tu itinerum commentariis tam timide, tam difficulter fidem habes; ecquid etiam, quae ab indigenis ubique ſcribuntur, aut quae publica auctoritate prodeunt, relationes, deſcriptiones, commentarios, ſummaria, indices, recuſandos esſe cenſes et rejiciendos? Ecquid ipſa Acta

et inſtrumenta imperii, quae in ſingulis gentibus promulgantur, ſugillare, in fraudis vel erroris ſuſpicionem adducere velis?

Haud certe is ego ſum, A. A., qui cujusquam fidei aut laudibus detractum, ſed, qui meae tamen disciplinae finem recte conſtitutum ſervatumque cupiam: In indigenarum autem relationes eadem valere ipſi intelligitis, quae modo de diverſis hominum ſtudiis, quibus omnia temere miſceantur, generatim obſervavimus, neque fugere vos facile poſſit eo majora hinc errandi pericula et fallendi incitamenta exiſtere, quo magis, hac noſtra praeſertim aetate, ita ubique per omnem terrarum orbem turbatur, ut nulla fere gens, nullus ſit populus, qui non magno et horrifico, quod omnes fere nationes attigit, bello confligetur et inteſtinis praeterea civium diſſenſionibus aut aperte agitetur aut clam et occulte corrumpatur: unde quae vel a principibus et gravisſimis viris, de rebus etiam, quae ipſi adminiſtraverint, patriis perſcribuntur, neſcias ſaepe utrum a veri amore an a partium ſtudio profecta, utrum ſimplicia et ſincera, an vero ſive odio atque in-

vi-

vidia, sive gratia et favore, varie sint detorta, adornata, corrupta.

Quandoquidem vero gentibus inter se eaedem affectiones, eaedem studii et offensionis causfae esse solent, quibus singulorum hominum vel copulatio mutua vel disjunctio continetur, sequitur profecto, ut, quae a quolibet populo promulgantur, relationes, commentarii, caeteraque imperii instrumenta, non sine discrimine et delectu pro veris habenda, sed ad sinceri etiam subtilisque judicii stateram examinanda esse censeamus; cum praesertim, quae haud exigui momenti huc accedit consideratio, plurimae saepe in qualibet gente existant causfae, quae, sive tributorum aut vectigalium fraudandorum, sive alterius cujuscunque compendii spe, eo impellant homines, ut tabularum publicarum fidem, professionum fraude et mendacio, infirment, tollant, evertant: quo efficitur ut de civium et incolarum numero, de agrorum latifundiis, eorumque tum natura, tum cultura, de jumentorum et pecorum reliquorum multitudine, de fabricarum, artificiorum, opificiorum ratione et frequentia, de mercium importatione atque evectione, et de caeteris denique hujus-

jusmodi rerum publicarum aestimandarum momentis, ipsa imperiorum sive summaria sive commentaria non perpetuo certi aliquid habeant et explorati.

Atque haec omnia toleranda et superanda forte essent, nisi continuae accederent, quibus Europa per plurima jam lustra misere affligitur, bellorum et commotarum ubique dissensionum turbae, per quas, communia olim gentibus jura, pacta quondam foedera, et quorumvis imperiorum principia, fines, quin ipsa possessio et quasi proprietas, tam varie in dies migrantur, ut quae heri adhuc verissima et ad perpetuitatem stabilita esse constabat, hodie vix pro certo affirmare ausis.

Quid igitur, A. A ? cum ipsa illa, in qua versari, qua niti nostram disciplinam oportet, veritas his, quas vidimus, difficultatibus demersa, vix, qua certo prehendi ac teneri possit, ansam dare videatur; itane cadamus animis, ut jam de fine scientiae nostrae obtinendo plane desperemus, ut his praesertim Europae temporibus nullam cogitari, nedum doceri posse Statisticen statuamus? Immo vero eo diligentius, A. A., ab hac nobis caveamus, qua vulgo peccatur, in judicando inconsiderantia, quo ma-

major imperia omnia, eorumque converſiones curatius perноſcendi, ex ipſis, quae recenſui, impedimentis conſequitur necesſitas. Qui enim in confirmato ſatis certoque olim rerum ſtatu, publica privatimque noſtra permagni interesſe cenſebamus, quae vis et ratio cujusque civitatis, quale civium ingenium, quae et quanta mercaturae copia, quae foedera, quae offenſiones esſent, accurate tenere et noſtrae inde ſive utilitati proſpicere ſive ſecuritati; nunc tandem, in rebus undique turbulentis, in triſtisſimis populorum de ipſo imperio terrarum, bellis; in mira hominum, de veris civitatum formandarum et regundarum principiis, disſidentium, contentione; in continuo denique et ancipiti propriae mercaturae, coloniarum, et aliorum commodorum diſcrimine, deſides nos et otioſi in ſecura nobis placebimus ignorantia? Quid agant gentes aliae, quid machinentur, qui ſtatum rerum praeſentem mutare, quem collocare velint, non curabimus? Commoda, quae praeparare, pericula, quae avertere conveniat, aequaliter negligemus? Avitae majorum noſtrorum navitatis et prudentiae obliti, quas ab iis accepimus, amplisſimas res et florentisſimas, noſtra denique inertia penitus perdemus?

 Quin

Quin potius eo intentius omnia inquirere conemur, quo majora inde vel ſperare vel timere convenit: In ipſis veri indagandi difficultatibus non deſidiae pabulum, ſed ſtimulum habeamus ſedulitatis, quae cum inveſtiget perpetuo omnia et ſcruterur, tum vero juſta certaque rationis libra, ita ponderet atque examinet, ut, cum in alteram lancem odii, gratiae, oſtentationis ac vanitatis, quae ſuis notis ſignisque cognoverit, commenta, in alteram autem, quae vera videantur aut maxime probabilis, impoſuerit, inclinet facillime poſterior haec, et priorem illam gravisſimo veritatis ipſius momento altisſime elevet. Quam ſi huic ſcientiae praeſtemus diligentiam, praeſens gentium ac populorum ſtatus vel ſatis ex vero cognoſci, vel certe, quando ſolidam ejus atque expresſam imaginem tenere non licet, ea tamen ſpecies et forma haberi poterit, quae ad percipiendos, quos maxime ſpectamus, fructus abunde nobis ſufficiant.

Atque ita quidem ultro ac fere inſcii ad eam disciplinae noſtrae virtutem pervenimus, cui ſupra ſecundus locus asſignatus eſt, ut nempe *utilia* narret; in quo argumento ne latius hic ſermo evagetur, primum quidem a re-

rebus minutis et exilibus perfcrutandis eo minus dehortabimur, quo graviora et majora habet Statiſtice, quae generoſos certe animos a nugis et quisquiliis avocent: Delectationis porro et jucunditatis, quibus animos ad ſe allicere et permulcere ſolet, fructus, ſilentio praetermittemus, et, quod homini denique innatum, in ipſis infantibus mire elucet, res novas et admirabiles audiendi ac videndi ſtudium, ne memorabimus quidem quanta cum voluptate in hac ſcientia verſari posſit, nec quam infinitis peregrinationum ſumtibus, quam variis quarumvis corruptelarum periculis parceretur, ſi curioſi homines vel domi diſcerent, quae peregre communiter obſervari novimus, vel, ubi peregrinandum esſe cenſent, animum certe tum aliarum doctrinarum, tum hujus inprimis diſciplinae praeſidiis, ad exteras nationes viſendas cognoscendasque, informarent antea et praepararent: Deinde vero etiam, quae ampliora et inſigniora, ſpectari hic et obtineri ſolent, commoda, cum ornari multis verbis et commendari posſent, in breve tamen omnia veluti orationis commentarium compellere conabimur.

Summus igitur mundi opifex, Deus, ſapientisſime om-

nia ac providentissime ita juncta inter se et copulata esse voluit, ut, quemadmodum ex diversis fidium sonis concentus atque harmonia, ita ex multa dissimilium rerum varietate, unus ac perpetuus existat consensus.

Quae certe in gentibus terrisque differentia observatur fere incredibilis, ut quibus, sive animi et ingenii, sive corporis, seu denique ipsius soli dotibus excellant aliae atque abundent, eaedem contra apud alias aut desiderentur omnino, aut diversi generis donis ab ipsa natura compensentur, quo tandem alio spectare, quo ducere et quasi cogere homines, nisi eo debuit, A. A., ut mutua sibi gentes auxilia praestiterint; bona invicem, abundantes cum indigentibus, communicarint, et quantumlibet locis, ingenio, lingua, ipsoque colore disjunctae in unam tamen generis humani societatem conciliari coeperint: Unde, qui quidem adiri possunt populi, nulla inventa, nullos sive ingenii, sive industriae, seu terrae denique fructus, ita sibi privatos habent et proprios, ut non caeteris gentibus quasi communes sint; ut non, quod usquam terrarum sit, ubique haberi possit.

Et privatae quidem industriae haud scio an neque latior

ne-

neque amoenior facile, quam hic ipse aperiatur campus, in quo libere excurrat, miras diversarum gentium varietates cognoscat, fructusque sibi colligat uberrimos. Sive enim doctrinam quis et eruditionem, sive artes, agriculturam, fabricas, opificia, sive mercaturam denique et commercia, novis incrementis augere, aut novas illis ad majorem splendorem et amplitudinem vias munire velit, unde quaeso praestantiora, vel praecepta consilii exequendi, vel exempla, quam ex populorum diversorum notitia petat? Majores profecto nostri, A. A., cum omne hoc, tenue initio apud nos et exile, studiorum atque institutorum privatorum genus ad incomparabilem postea industriae, fidei et opulentiae laudem nobilitarunt, dubium mihi videtur utrum suae minus solertiae, qua tamen excellebant maxima, quam aliorum debuerint exemplis, quae illos satis constat, diligenter observandó et prudenter imitando, ad res suas amplificandas contulisse.

Atque haec eo illustriora majorum merita, eo insigniora sunt emolumentorum, quae ex terrarum gentiumque notitia sperari possunt, documenta, quo difficilior ista aetate ad illarum cognitionem aditus, quo rariores

ſcholae erant et libri minus apti, in quibus ad eam recte atque ordine erudiri et informari juventus poſſet; unde, cum nos quidem, neque librorum de hac ſcientia neque Scholarum penuria laboramus, mox etiam, quod valde ſperamus, praeclaris tuis, optimeet dulcisſime Frater, BENNETE, *Oeconomiae*, quam dicunt, praeceptis abundabimus, optandum omnino eſt, ut cives noſtri cum his ſuis propriisque bonis ſtrenue utantur, tum vero, quemadmodum rerum indagandarum praeſidiis, ita et inceptorum amplitudine ac ſucceſſu, ipſam Majorum induſtriam et fortunam ſuperare poſſint.

Jam vero, cum de privatis commodis, Vos A. A., habere mihi videor conſentientes, publica profecto non dubitabitis, quin recte etiam ad Statiſtices finem referantur. Primum enim univerſae cujuslibet civitatis atque imperii ſalutem et ſplendorem novimus omnes plurima ſingulorum civium proſperitate contineri, ut nihil, quod rectum juſtumque ſit, privatis fortunis prodesſe posſit, quod non publicam quoque proſperitatem augeat. Deinde autem ad privatam illam, qua late patere vidimus, civium induſtriam ſtimulandam ac regundam; ad bo-

bonas leges ferendas et tuendas; ad religionem morsque ſartos tectos ſervandos; ad tributa et vectigalia ſapienter imponenda et percipienda; ad plurima, maxime aquarum terras noſtras inundantium, pericula propulſanda; ad amicitias circumſpiciendas et foedera ineunda, conſervanda; ad bellum denique ſive avertendum ſive ſuſtinendum; omninoque ad rempubl. domi foriſque, pace ac bello feliciter adminiſtrandam et ornandam, ecquae foecundior, ecquae magis necesſaria esſe posſit, quam accurata rerum domeſticarum et externarum notitia, quam haec ipſa, de qua agimus, *Statiſtice?*

Mihi quidem temerariae, qua imperiti homines ad rempublicam accedere, et gravisſima munera capesſere ſolent, ambitionis levitatem ſaepe cogitanti mecum et deploranti, ſemper fere et fabri iſtius, ut ita dicam, *Stannarii*, quem in ſcena ridemus omnes ultra vaſa ſua judicantem, et vero jucundisſimi illius ſermonis in mentem venire ſolet, quo apud XENOPHONTEM SOCRATES, juvenem vel adoleſcentem adeo Glauconem, cum aetatis tum ambitionis aeſtu abreptum, ita a republica capesſenda avertit, ut, cum ad agnoſcendam, cujus adhuc ni-

mi-

mium securus fuerat, et suae civitatis et aliarum inscitiam, percunctando illum interrogandoque adegisset, suum tandem ipsi probet consilium, quod et Academicae huic juventuti unice commendari convenit. „ Ut in eos
„ nempe intueamur, qui, quae non intelligunt, dicere
„ tamen et facere instituant; videamusque, utrum lau-
„ dentur propterea an vero in reprehensionem incurrant;
„ utrum admirentur hos cives sui an vero contemnant;
„ ut contra et illos observemus, qui, quae dicunt fa-
„ ciuntque, probe sciant; quo intelligamus in omnibus
„ rebus, qui in hominum laude et admiratione sunt, ex
„ peritissimis, qui in vituperatione et contemtu, ex im-
„ peritissimis esse, ut adeo, si quis et gloria et homi-
„ num veneratione in sua civitate florere cupiat, ei id
„ omnino efficiendum sit, ut quae facere velit, optime
„ intelligat, cum, qui hoc praesidio aliis excelluerit,
„ facile in republica administranda, quae desideret, sit
„ assecuturus."

Neque in his tamen privatis publicisque commodis spectandis subsistat oportet, qui omnem scientiae nostrae amplitudinem, atque adeo extremos etiam terminos, ul-

ultimum quasi et summum finem, animo et cogitatione amplexus sit: ad altiora hic et sublimiora tendit, quibus homines gentesque juventur et beentur universae.

Dum scilicet, apud quos populos, sive mercibus vendendis aut commutandis, sive coloniis ducendis, seu armis denique inferendis, plurimum nobis lucri sperare liceat, solliciti anquirimus, an quae ad animos mutua institutione erudiendos, quae ad mores spectant emendandos, auro tantum et divitiis intenti, caetera ignavi secu-rique, turpiter negligemus?

Qui veterem illam majorum nostrorum et septentrionalium fere gentium omnium barbariem, cum hoc, quo maxime floremus, cultu comparaverit, nae ille divinam profecto providentiam veneretur oportet, qua moderante, antiqua primum illa cum ipsis Romanis, et alia plurima bella; deinde Caroli Magni ejusque successorum arma ac dissensiones; tum Expeditones, quae vocantur, cruciatae; ductae porro, in Americam maxime, Coloniae; gravissimae praeterea inter haec omnia, et fere continuae per omnem Europam, de sacris rebus et civilibus, contentiones; et multa denique, per ipsas has caussas insigni-

ter dilatata hominum commercia, hoc tandem, quod neque quaerebant harum rerum auctores neque animo prospiciebant, efficere tamen debuerunt, ut ab inveterata barbarie sensim homines ad praecipuam hanc ingeniorum morumque elegantiam, inscii fere invitique deducerentur. — Ad quam igitur animorum culturam et conjunctionem genus nostrum a sapientissima illa rerum humanarum gubernatrice, providentia, per clades etiam et calamitates ductum et quasi compulsum esse intelligimus, ad eandem et nos, divinae bonitatis aemuli, quibuscunque nobis liceat viis, revocare omnes conemur, quotquot sive homines sive populi, in veteri illa barbarie demersi adhuc et sepulti, a cultioribus gentibus ingeniorum ac morum ferocia separantur. In altissima nos Statistices quasi specula collocati, diligenter quidem unde res nostrae et quibus viis augeri possint, sed simul tamen, et vero magis etiam modos rationesque omnes circumspiciamus, quibus non imperium nostrum sed patrocinium proferatur, quibus nostra, culturae praesertim et religionis bona, aliis etiam longissime disjunctis nationibus impertiantur, et quibus adeo, quod Dei certe consiliis est consentaneum

et

et quod libri noſtri ſacri ſperare jubent, univerſum hominum genus, ſenſim, ad humanitatis et beatisſimae vitae conſociationem congregetur.

Quae quo ampliora ſunt et graviora, et quo difficilior eſt veri ipſius, unde manare haec commoda debent, indagatio, eo majores et AUGUSTISSIMO REGI et vobis, CURATT. ILL., gratias habendas esſe intelligo, qui praeter Historiam Patriae et Diplomaticam, hanc etiam tanti momenti diſciplinam mihi demandare volueritis: ad quas omnes rite tradendas, ſi forte, quod jam initio vehementer me vereri dicebam, vires non ſuffecerint, ſtudium certe meum et diligentiam non defutura esſe cum ſancte atque ex animo polliceor, tum tu inprimis ſpondenti credes, non ordine magis equeſtri et muneris honore, quam praestanti humanitate et inſignibus in bonas literas atque in hanc ipſam Univerſitatem regiam meritis, illuſtrisſime BOSCHI: Cum in illuſtri Amſtelodamenſium Athenaeo docenti mihi et amicus et ſodalis esſes, et cum praeterea etiam, tum in eximio et ſingulari, quem nimis mature Literis et huic adeo Univerſati ereptum necdum eluximus, NIEULANDO, tum in aliis, quos munifice admodum in

tuam quasi clientelam suscipere solebas, melioris spei adolescentibus, omnem disciplinae meae rationem cognovisses; summo me semper, quod gratus agnosco, studio et voluntate es prosecutus; quod certe neque tunc facturus, neque nunc tanta me iterum gratia ac benevolentia complexurus fuisses, nisi mea haec, quam sequi soleo, officii in studiis juvandis religio satis tibi perspecta fuisset et probata. — Quod tuum judicium uti mihi est perhonorificum, ita curabo profecto Vir Illustrissime, ne te illius unquam poeniteat. —

Neque vobis adeo, Viri Clarissimi, aliis ego dotibus, nisi summa meritorum vestrorum reverentia, boni publici studio, et aperti ac simplicis animi candore, placere possim. — Vos praesertim, OOSTERDYKI et PARADISI, lectissimum amicorum meorum par, multo mihi usu, multis amicitiae artisque vestrae documentis, tu etiam OOSTERDYKI, jam antea in Harderovicena Academia, gratissimo collegii vinculo, conjunctissimi, vos igitur, quorum in intimam familiaritatem et adhuc admissus fui, et perpetuo admitti spero, et vos praeterea, quorum studiis et voluntate semper floruí,

nui, BOERSI, TE WATERE, KEESSELE, SANDIFORTE, BRUGMANSI, Vos, inquam, omnes, Viri amicisſimi, uti antiquam mihi benevolentiam, quod enixe precor, continuabitis, ita libenter etiam, teſtimonii et commendationis veſtrae auctoritate, apud reliquos hos, Viros Clarisſimos, in ea me, quam cupio rogoque, gratia ponetis; quod apud te in primis factum velim, Cl. HAGEMANNE, qui non meritisſima tantum eruditionis et vero humanitatis laude celebraris, ſed continuato etiam per plurimos annos ſtudio, eam Civilis praeſertim Prudentiae, Hiſtoriarum et ipſius denique Statiſtices peritiam et comparaſti tibi et publice probaſti, ut Scholas equidem meas, huic noſtrae Juventuti Academicae eo utiliores fore confidam, quo benignius et frequentius, tui adeundi et conſulendi feceris mihi copiam.

Vobis denique, generoſi Juvenes, togatae hujus militiae Commilitones jucundisſimi, ſive dux ſtudiorum ſive ſocius ero, veſtrum amantisſimus. Sene quidem me, ſed neque moroſo admodum, neque exacti temporis laudatore nimio, omninoque tali et amico utemini et praeceptore, qui, ex variis magnisque tempeſtatibus tandem in

hunc quasi portum receptus, nihil habeam, quod optem amplius in hac vita et sequar, nisi ut vestris inservire possim et hujus Universitatis commodis, et cui quod reliquum est, animus, a prima inde juventute doctrinae, literarum et relligionis studiis, deinde etiam multo rerum et hominum usu, ad eam rerum humanarum despicientiam informatus sit et corroboratus, ut uni officiorum sancte servandorum curae intentus, cetera securus, ex caduca hac et fragili meliorem vitam, certus hilarisque prospiciam.

D I X I.



